

supradictum, jam necessariò in immediatè Inferioribus invenienda est, quantacumque tunc futura sit illius exercendæ difficultas. Ita saltem communiùs Theologi (1).

Idem etiam, juxta plurimos, dicendum de casu in quo rationale ac permanens dubium fieret annon Papa factus esset extra societatem viventium per mortem, aut rationalium per amentiam (2), aut Christi-fidelium per hæresim non quidem pontificaliter decretam (quod accedere nequit, ex dictis, quamdiu ipse pro Pontifice ab Ecclesiâ habetur), sed personaliter ac privatè professam. De quo ultimo casu præsertim agere solent Doctores. Etsi enim absolutè fieri possit, imò et admittendum videatur auctoritatis retinendæ et exercendæ capacitatem à Christo in tali homine supplendam fore, ad vitandas incertitudines, usquedum illius incapacitas authenticâ declaratione constiterit; talis tamen status institutioni Christi minimè respondet, ideoque plurimi Doctorum, per quamdam *επιεικειαν*, censent in eo casu jus competere Corpori episcopali vel Concilio ipsius repræsentativo, ut talem hominem declaret divino jure extunc exauctoratum (3). — Alii

(1) Cfr Suarez loco cit.; — Bellarmin. *Controv.*, t. II: *De conciliis*, l. II, c. XIX, 22; *De clericis*, l. I, c. X; — Muzzarelli: *De auctoritate R. Pontif.* t. II, p. 369; — et ita judicare eos omnes necesse est qui Alexandrum V, ex his principiis in Concilio Pisano electum, inter legitimos Pontifices recensent, uti satis solitum est (Cfr ipsum Palma: *Prælect. Hist. eccl.*, t. IV, p. I, c. II in fine). — Alii tamen negant illam auctoritatis ad Episcopos devolutionem fieri posse, neque remedium in hoc aut aliis ejusdem circiter modi casibus aliunde exspectandum esse contendunt quam ex divinâ Providentiâ (Ita Bouix: *De Papâ*, t. II, p. 673 et ss.; Cfr et Ballerini: *De potest. S. Pontif.*, c. IX, § 3 et 4, ap. Migne *Theol.* t. III, p. 1375 et ss.).

(2) Suarez, l. cit., n. 17. — Cfr Jacobat.: *De Concil.*, t. IV, p. 146 et ss.

(3) V. notatim Suarez, l. cit., n. 6 et ss., itemque *De Legibus*, l. IV, c. VII, n. 10, ap. Migne *Theol.*, t. XII, p. 797. — Quidam quidem auctores censuerunt talem hominem jam exauctoratum esse ante declarationem; ita Bellarmin.: *De R. Pont.*, l. II, c. XXX; Ballerini: *De pot. eccl.*, c. IX § 2, p. 1374; et alii ap. Suarez, l. ind., n. 2; — qui eos meritò impugnat, ibid., n. 3-5; itemque D. Bouix, t. II, p. 660; — et cfr dicenda hic infra in nostrâ P. 2da.

Aliunde quidam olim jus Concilii extendere voluerunt ad casum Pontificis scandalosi in moribus; sed non ita rectè; non enim eadem inde oriri videtur incapacitas (V. Suarez, loc. cit. n. 14 et ss.; Ballerini, § 1, p. 1374; D. Bouix, p. 640 et ss.). — Unde apprimè profectò Innocentius III Papa, in

tamen negant id fieri posse et remedium à solâ Providentiâ volunt expectandum (1). — Probabilius nobis videtur casum nunquam eveniturum (cfr suprâ, p. 160, not.); at certè, si eveniret, securè standum esset judicio Corporis episcopalis, quod nempe, utpote infallibile, non sibi potestatem arrogaret quæ sibi non competeret.

### COROLLARIUM CAPITIS

#### circa Ecclesiæ unitatem et apostolicitatem

##### CUM CONSECTARIIS PRACTICIS

#### circa transmissionem auctoritatis in Ecclesiâ.

57 — Ergo Ecclesia est societas una, itemque — 58 — societas apostolica. — \*59 — Consectaria practica: 1º Necessitas apostolicæ missionis itemque 2º consensus S. Sedis et quidem consensus perseverantis. — Observatio quoad ipsum S. Pontificem.

57. — Iº — Ecclesia est societas una. — E toto hoc Capite, jam colligere est Ecclesiam non modò esse societatem, uti è Cap. Iº suprâ intulimus (n. 29, p. 76), sed esse societatem unam, non plures societates. Ibi enim est verè societas una, ubi una est auctoritas suprema (sive in uno homine individuo, sive saltem in uno plurium collegio residens); ibi, è contrâ, plures existunt societates, ubi plures hujusmodi existunt auctoritates apud suos quæque supremæ et independentes, sicuti videre est in mundo pro ordine civili. — Atqui in Ecclesiâ adest, ex ipsius Christi institutione, una auctoritas suprema, cui omnes obedire tenentur tum in credendo tum in

*Serm. II in consecrat. Pontif. (Patrol. lat. Migne, t. CCXVII, p. 636):*  
« In tantum fides mihi necessaria est ut, cum de cæteris peccatis solum  
» Deum judicem habeam, propter solum peccatum quod in fide commit-  
» titur, possem ab Ecclesiâ judicari. » — Cfr August. Triumphum: *Summa de Potestate eccl.*, q. VI.

(1) Ita, — præter quosdam, quos rejicit Bellarminus, l. cit., — D. Bouix, l. modò indic., p. 666, 668 et ss.; — Etc.

agendo relatè ad salutem. Imò hæc auctoritas suprema non in uno collegio tantùm, sed in uno homine individuo posita est, ad unitatem enixiùs monstrandam et conservandam; uti pluriès innuit S. Cyprianus suprâ cit. (p. 119, 120). — Ergo magis ac magis patet Ecclesiam esse, è jure divino, societatem unam (1).

Et certè hujus divinæ œconomiae, quam tota pariter proclamât Traditio, ratio etiam ex se apparet; siquidem, ut fert axioma, *vis unita fortior*.

**58. — II° — Ecclesia est societas apostolica.** — Illam nempe societatem dicimus *apostolicam*, in quâ auctoritas tota ab Apostolis venit neque aliunde unquam accipi potest. — Atqui, ex ipsâ Christi institutione, ita fit et semper fiet in Ecclesiâ. Etenim Christus, ut probatum est, auctoritatem de *omnibus* Ecclesiae rebus et super *omnia* Ecclesiae membra dedit *in perpetuum* certis personis, Petro scilicet et aliis Apostolis. Ergo jam non potest auctoritatem sive universalem sive partialem in Ecclesiâ dare aliis personis, nisi de voluntate illarum quibus priùs dedit. Alioquin Sibimet contradiceret : — quod repugnat.

Et verò consilii hujus divini ratio *à priori* apparet. Si enim Christus auctoritatem in Ecclesiâ certis personis

(1) In illâ quidem totidem existere dicuntur societates seu *ecclesiae* quot sunt Pastores quibus, « singulis portio gregis sit adscripta, quam regat » unusquisque et gubernet » (S. Cypr. : *Epist.* 55, *ad Cornelium* 12<sup>a</sup>, c. xiv); siquidem ecclesia dicitur « plebs sacerdoti (episcopo videlicet; suprâ, p. 190) adunata, et pastori suo grex adhærens » (Idem, *Epist.* 69, *ad Pupianum*, c. viii); sed omnes eae ecclesiae particulares coeunt tanquam « plebs unâ in solidam corporis unitatem » (Id. *De Unit. Eccl.* c. xxiii), in magnam videlicet Ecclesiam, « quæ catholica et una est, non scissa neque divisa, sed utique connexa et coherentium sibi sacerdotum glutino coepulata » (*Epist.* 69, loco cit.); etenim « Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudine latius incremento fecunditatis extenditur, etc... » *De Unit. Eccl.* c. v; et cfr *Epist.* 52, *ad Antonianum*, c. xxiv).

dando, Sibi reservasset ut illam postea aliter ac de earum consensu aliis etiam impertiret, id utique faceret vel prioribus auctoritatem jam acquisitam suprâ subditos suos relinquendo, vel prorsus auferendo. Porro, si prius, tunc unitas Societatis ecclesiasticæ scinderetur, et plures fierent Ecclesiae ab invicem independentes, altaribus contra altaria erectis : si posterius, jam sæpe ac diu incertum fieri posset ubinam esset vera Auctoritas; et quantum periclitaretur inter istas vicissitudines Ecclesia, nemo non videt.

**59. — Consectaria practica :** Ex *apostolice* simul ac *unitate* in Ecclesiae regimine, sequitur necessitas *apostolicæ missionis* ac speciatim *consensus S. Sedis*, — et quidem *consensus perseverantis*, — ad quemlibet auctoritatis ecclesiasticæ gradum acquirendum et retinendum :

**I° — necessitas apostolicæ missionis :** Ex dictis enim, nemo ullam auctoritatem in Ecclesiâ assequi potest nisi de voluntate Apostolorum per ipsos aut legitimos ipsorum repræsentatores sufficienter declaratâ. Declaratio porro talis voluntatis est idipsum quod dicitur *missio* seu etiam *institutio*. Necessè est igitur ut, de missione in missionem, semper ascendi possit ad Apostolos, et inde ad Christum qui ipsos *misit*, sicut et ipse *missus* est à Patre : « *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos... Euntes docete;* » — proindeque quisquis absque missione ab Apostolis legitime proveniente auctoritatem ecclesiasticam, aut etiam aliquam auctoritatis ecclesiasticæ partem assumere tentaverit, repellendus est tanquam *intrusus* et *schismaticus*, tanquam *fur* et *latro*, qui *non intrat per ostium*, id est, *per Christum* (Joan., X, 1, 9). Atque, etiamsi ille miracula quædam faceret, hæc non esse possent nisi diabolica; Ecclesiae enim opponerentur fundatæ super miracula quæ certè ab iis non superabuntur (Cfr *Tr. de verâ Relig.* n. 38 et 40).

Neque aliter SS. Patres ratiocinatos esse, ad confundendos schismaticos, ex omni antiquitate pernotum est, ut jam observavimus (suprà p. 93 et 99). « Novatianus in » Ecclesiâ non est, inquit S. Cyprianus (*Epist.* 76, ad » *Magnum*, n. 3), nec episcopus computari potest, qui, » evangelicâ et apostolicâ traditione contemptâ, nemini » succedens à seipso ortus est, etc. » — Ita et omnes cæteri Patres. — Unde satis apparet quàm constanter creditum fuerit auctoritatem in Ecclesiâ enasci non posse, ut ita dicam, per *generationem spontaneam*, sed semper, sicut vitam à *parente*, ita accipiendam fuisse à *mittente*, et sic ultimato à Christo.

*Notandum est* verò, ad majorem rei tanti momenti elucidationem, *missionem* seu *institutionem* sedulo distinguendam esse tum ab *electione*, tum ab *ordinatione*. Etenim 1° *electio* nihil aliud est ac *designatio personæ* cui auctoritas ita per *missionem* conferatur. Quæ quidem designatio ab aliis etiam fieri potest quàm ab ipsis institutoribus, modò horum consensus semper remaneat necessarius; et reverà multis variis modis illa in Ecclesiâ facta est pro variis temporibus et locis (1) : imò nonnun-

(1) Sic Apostoli ab ipso Christo primùm electi sunt (Luc., VI, 13); Matthias per sortem designatus est (Act. I, 26); plerosque autem videmus extunc pastores etiamque ministros eligi sive à populo cum clero, sicuti ferè in electione septem primorum diaconorum (Act. VI, 5) et sæpe in primis sæculis, sive à clero solo vel ab aliquibus de clero, v. g., à capitulo, sicuti passim deinde factum est; vel etiam proponi à dominis seu principibus temporalibus, sicuti nunc jure fit apud nos pro Episcopis, ex concordatis Leonis X cum Francisco I et Pii VII cum Napoleone I.

Quod attinet ad jus antiquum electionum, V. D. Chardon : *Hist. des sacrements*, ap. Migne : *Theol.*, t. XX, p. 821-842; Hallier : *De Sacris electionibus*, ibid. t. XXIV, p. 249-259; vel brevius Devoti : *De hierarchiâ eccles.*, ibid., t. V, p. 1250, etc. Ipsas tamen electiones in Ecclesiâ non esse de jure naturali vel divino ostendit apprimè Andr. Duval : *De supr. R. Pont. pot.*, P. III<sup>a</sup> q. vi, contra Richer et Vigor; — cfr D. Puyol : *Edm. Richer*, T. I, p. 425-437. — Nec dubium est ipsas quoque suos ha-

quam accidit ut quidam per vim aut usurpationem ecclesiis imponerentur. Sed quocumque modo sive legitimo sive illegitimo aliquem designari contigit, nunquam ille, sicuti jam suprà dictum est (p. 93, 99), habitus est Pastor quin per consensum saltem subsequentem eorum ad quos legitimè pertinebat, verè denique *institutus* sit (1).

Item 2° *missio* non confundi debet cum *Ordinatione*. *Ordinatio* enim ritus sacer est quo personæ institutæ vel instituendæ confertur aptitudo ad sacra quædam munia obeunda (ut in *Tr. de Sacramentis* et speciatim *de Ordine* ostenditur); ideoque regulariter Pastori instituto vel instituendo conferenda est ut ipse per se, proût pastorem decet, munia hæc erga oves suas implere possit; sed illa minimè ex se jurisdictionem importat (2), imò nec importare

huisse abusus tum veteres (V. S. J. Chrysost. : *De sacerdot.* l. III, n. 15; S. Greg. Naz. : *Poemata historica*, XII et XIII, *De Episcopis*; cit. ap. Rohrbacher, l. XXXVI), tum recentiores; unde sæpè illusoriæ factæ sunt ac tandem suppressæ (V. N. Alex. *In sac. XV et XVI dissert.* XI, a. vi; *Thomasin.* P. II, L. II; nec non ipsum præambulum *Concordati* Leonis X, ap. Labbe T. XIV, p. 294; cum excerptis è variis auctor. ap. Audin : *Hist. de Léon X*, T. II, ch. VII et VIII; Rohrb. l. LXXXIII).

Quod autem attinet ad jus novum, nominationis scilicet ab auctoritate civili, ipsum profectò sua habet inconvenientia (de quibus V. notatim Fénelon : *De S. Pont. auctor.*, c. XL jam cit.); verùntamen non, ut quidam interdum optare videntur, leviter aut absque utriusque partis consensione mutandum foret. Et certè V. quæ hæc de re sapienter suggerebat P. de Ravignan duci Cavaignac Reipublicæ gallicæ præposito : *Vie du P. de Ravignan*, c. XIX.

(1) Imò ne institutionis ecclesiasticæ necessitas eludi posset, sapienter à jure canonico in Ecclesiâ catholicâ vetitum est ne quis electus vel nominatus ad aliquam ecclesiam regendam, hujus administrationem, ante suam institutionem, suscipere quocumque titulo vel delegatione etiam aliàs regulari, v. g., tanquam vicarius capitularis. V. *Prælect. Juris Canon. S. Sulpitii*, n. 151; ac præsertim Constit. Apostolicam : *Romanus Pontifex...*, 28 aug. 1873; quam invenies ap. *Annales cathol.*, nov. 1873, p. 296; cfr ibid. p. 138.

(2) Ita tamen vellent Anglicani illi qui, nedum, ut alii, ordinationem pro cæremoniâ nullius momenti habeant, eam, è contrâ, adeò extollunt ut indè

potest, uti apparet — 1 — *ex ipsâ rerum naturâ*; character siquidem per Ordinationem impressus, quemadmodum apud Christianos quotquot in eam credentes admittitur, indelebilis habetur ac semper validè transmissibilis, non obstante ullâ à Corpore Pastorum separatione aut abscissione. Atqui id dici non posset de jurisdictione quin tota inde pessumdaretur Ecclesiae constitutio atque unitas: auctoritas enim ita in plures dividi posset auctoritates separatas atque indefinitè persistentes, è quibus jam non una sed plures efficerentur Ecclesiae: quod tam recto sensui quam instituto Dei repugnat. Ergo Ordinatio non potest ex se importare jurisdictionem, nec proinde cum Missione confundi debet. Atque inde meritò S. Cyprianus: « Qui ergò... se ab Ecclesiae vinculo atque à » sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem » potest habere nec honorem, qui episcopatus nec unitatem tenere voluit nec pacem. » (*Epist.* 52, ad *Antonianum* n. 24; ap. Migne *Patr. lat.* t. III, p. 791). — Idem etiam constat — 2 — *ex historiâ*, ubi nempe exempla Ordinis absque Jurisdictione vel Jurisdictionis absque Ordine non desunt (1).

habere confidant non modò characterem ordinis (de quo, apud eos, videb. infra in 2<sup>a</sup> P), sed et auctoritatem ipsam ecclesiasticam, quam nempe non à Principe aut Multitudine sed ab Apostolis ita sibi communicatam putant (suprà p. 81, 82), non obstantibus interdictis et excommunicationibus à S. Pontifice et reliquo Pastorum Corpore prolatis. — In quos V. Wiseman: *Prétentions de la Haute Eglise*, l. mox. indic.

Illorum etiam principio accessisse videtur Edm. Richer (suprà cit. p. 193); itemque nonnulli veteres theologii, — contra quos V. Suarez: *De Legibus* l. IV c. iv. n. 7 et ss. (Migne *Theol.* T. XII, p. 758), maximè autem quoad jurisdictionem ad absolvendum: *De Pœnit.* Disp. XVI, s. III (ubi advertit speciatim circa vulgatum quemdam sed minùs accuratum loquendi modum n. 26 et ss.). — Quos etiam secuti sunt non pauci è Jansenianis, contra quos V. Collet: *De Pœnit.*, ap. Migne *Theol.* T. XXII p. 747.

(1) Etenim, ex unâ parte, primitivis quidem temporibus, ordinatio generatim nemini nisi instituendo Pastori et in ipsâ institutionis solemnitate at-

Cum necessitate autem apostolicae missionis probatur etiam

II<sup>o</sup> — **necessitas consensûs S. Sedis**, et quidem consensûs **perseverantis**. Etenim Christus, ut suprà proba-

que ab ipso instituentem conferri solebat; unde habebatur tanquam authenticum institutionis signum, et practicè cum ipsâ, apud Patres, sæpe confundi videtur (ut observat Thomassin., P. 2<sup>da</sup>, L. II, ch. 42, VIII); sed tamen, eo etiam tempore, quidam notantur quibus Ordo etiam episcopalis absque Jurisdictione et solius honoris causâ collatus est; (ita Lazarus, Barse et Eulogius, de quibus Sozomenus: *Hist. eccl.*, l. VI, c. xxxiv, et cfr Conc. Ephes. gen. III, in *Relat. ad Cœlest. P.*, cit. ap. Wisemann, Migne: *Dem. Evang.* t. XVII, p. 490); ac plures præsertim inveniuntur in quibus, jurisdictione sive abdicatâ (ut in Eustathio Pamphiliæ Metropol., ap. Conc. Eph.: *Epist. ad Syn. Pamphil.* cit. ibid.), sive etiam nullius valoris declaratâ (ut in Meletianis, Novatianis, Donatistis; V. cit. ibid. p. 491, 548, et cfr alia exempla ap. Card. Bona: *Analecta liturgico-sacra.* p. 319), Ordo tamen agnoscitur manere et exerceri posse de consensu alius episcopi jurisdictionem habentis, vel jurisdictionem demum per institutionem legitimam receptâ (Cfr et de his Bouix: *Tr. de Principiis Juris canon.* p. 509, 513, 514). — Paulatim denique Ordines inferiores, imò et ipse Ordo presbyteralis passim conferri cœperunt absque titulo ullo jurisdictionis etiam vicariæ. Non item verò de Ordine episcopali, qui hodie non conferri solet sine aliquo titulo episcopatus saltem *in partibus Infidelium* (de cujus moris origine V. Thomassin., P. 1<sup>a</sup>, L. I, ch. 28, IV et ss.; vel Alzog, T. II, § 230).

Item, ex alterâ parte, Jurisdictio absque Ordine interdum accipi, imò et satis diù nonnunquam conservari cœpit per abusum quemdam, cujus exemplum notabile videre fuit in episcopo quodam Argentoracensi apud Concil. Constantiense, inter Sess. xx et xxi (*V. Hist. de l'Egl. gallic.*, l. XLVI, vel *Hist. de l'Egl. cath. en France*, t. XIII, p. 177). — Nunc verò ut talis abusus efficaciter præcaveatur, instituti quique pastores ad Ordinem competentem accipiendum tenentur, è jure canonico, parochi quidem intra annum (In *Sexto*, l. I, Tit. vi: *De electione*, can. 14 *Licet*), episcopi autem intra tres vel sex, ad summum, menses (*Conc. Trid.* Sess. xxiii, c. II, *De reform.*), aut ipso facto destituuntur.

Hæc etiam occasione veteres Canonistæ casum expendunt in quo quis laicus, imò et uxoratus, eligeretur in Papam (licet id aliquando vetitum sit: *Decret. Gratiani.*, Dist. LXXIX, c. 3 et 4); et declarant quòd, vel antequam ad Ordines promoveatur, « habebit ea quæ sunt jurisdictionis » (Fragosus, ap. Rocaberti *Biblioth. Pontif.*, t. V, p. 138), « quia jam virtute electionis

tum est, auctoritatem Apostolis contulit non separatim sumptis sed quatenus unius collegii membris atque hujus collegii Centro et Capiti Petro unitis ac subordinatis. Ergo ad aliquam auctoritatis ecclesiasticæ partem possidendam non satis erit in eam *mitti* ab aliquo Apostolo vel alicujus Apostoli successore, nisi hoc fiat *de consensu* explicito aut implicito Petri vel successoris ejus. — Nec etiam pars illa auctoritatis semel accepta retineri ac exerceri poterit nisi *perseveret* etiam ejusdem consensus. Secus enim, Ecclesia mox in plures divideretur societates, de facto, ab invicem independentes, ut patet. — Unde (ut jam supra intulimus, p. 179) Papa per expressam sui consensûs revocationem semper poterit pastorem quemlibet ab omni destituere jurisdictione (1).

Diximus : ... *de consensu explicito aut implicito*... Non enim semper et ubique explicito hoc modo qui nunc sub nomine *institutionis* vel *confirmationis* papalis in totâ ferè Ecclesiâ de jure habetur pro episcopis, ille consensus datus est, imò nec primitus ita generatim dari potuit, sed plerumque præsumebatur, ni contrarium significaretur, magis quàm exprimebatur. Apostolorum nempe unusquisque primùm per civitates quas evangelizabat, Episcopos constituabat, ipsis manus imponens (II Tim., 1, 6, etc.), aut commendabat constitui similiter per aliquem quem, *hujus rei gratiâ*, illic reliquerat (Tit., 1, 5; et Tim. passim), ipsum quasi Metropolitanum vel

» (V. infra, p. 224), etiam non secutâ consecratione, est Papa Caputque » Ecclesiæ » (Cupers, ibid, t. XIX, p. 45); et, circa hanc hypothesim, multos casus pro more suo sibi ponunt. (Cfr Jacobatium, ibid. t. IX, p. 398; — Abb. Panormit., super 4<sup>m</sup> P., l. 1 Decretal., *De elect.* in can. *Licet, de vitandâ*....; — ipsamque Glossam in can. *Si quis pecuniâ*, Dist. 79 in *Decr.* Gratiani; in can. *Licet, de Elect.*, in *Seoto*; etc.). — Cfr et de his Suarez : *De Leg.*, l. IV, c. IV, n. 44, et c. VIII, n. 8; ap. Migne *Theol.*, t. XII, p. 761, 804.

(1) Quidquid aliunde dicatur de celebri inter Theologos controversiâ : « Utrum Episcopi suam auctoritatem à Deo *immediatè* accipiant, an *mediante* Papâ? » Quæ quidem quæstio, si rectè ponatur, nobis videtur non esse nisi de nomine, uti demonstrare satagemus in *APPENDICE* X<sup>a</sup>.

Primates cæteris præponens (1). Inde mos deductus ut Episcopi generatim instituerentur simulque ordinarentur per Metropolitanum : Metropolitanus verò regulariter debebat institui et ordinari per Primate vel Patriarcham; qui et ipse debuisset institui et ordinari per Romanum Pontificem. Verùm, propter distantiam locorum non paucis in provinciis (2), Metropolitanus instituebatur per comprovinciales episcopos, digniore eorum ipsi manus imponente; item et Primas et Patriarcha per Metropolitanos suæ ditionis; atque statim exhinc auctoritatem, provisorie saltem, exercebant. Et ita quidem instituti litteras continuo debebant mittere ad Superiorem à quo pendebant, ut ab eo confirmationem peterent sine quâ non *firma ac roborata* habebatur eorum jurisdictio (3); sed hujus tamen confirmationis dilatio, sine expressâ excommunicationis vel depositionis sententiâ (4), non auctoritatem initam tollebat. Paulatim verò Romani Pontifices, sapienti ac perseveranti consilio et maximè certè toti Ecclesiæ profuturo, omnium Episcoporum institutionem variis è provinciis successivè ad se traxerunt, ita ut nullus denique auctoritatem iniret ante expressum S. Pontificis consensum. Hoc certè, in toto saltem Occidente, pro Metropolitanis sancitum est per Decretales Gregorii Papæ IX, atque à sæculo XIV<sup>o</sup> admissum est pro cæteris quoque Episcopis (5). — Et jam quidem

(1) Cæterum nullus hodie episcopus videtur esse qui possit certâ nec interruptâ serie ad alium Apostolorum retroferri quàm ad Petrum (Cfr Bouix : *De Episcopo*, t. I, p. 47, Prop. V<sup>a</sup>).

(2) Etiamque in Occidente, saltem in certis quibusdam casibus, uti videre est ex Innoc. III, *Decretal.* l. I, tit. vi *De Electione*, c. 28 et 44; nempe, ut ait Papa, «... dispensativè propter necessitates ecclesiarum et utilitatis... » — Cfr Thomassin., 2<sup>de</sup> P. L. II, ch. 42.

(3) Circa confirmationem speciatim Patriarcharum à Papâ, cfr Hallier : *De sacris electionibus*, ap. Migne *Theol.*, t. XXIV, p. 1181 et ss.; — *Prælect. Juris can.* S. Sulpitii, t. I, n. 127; — J. et F. de Lamennais : *Tradition de l'Egl. sur l'institut. des Evêques*, t. I, p. 197, contra dubitationes quasdam Thomassini illic cit.

(4) Talis nihilominus depositionis sententiæ exempla V. tum ap. Thomassin. : *Anc. et nouv. discipline*, t. I, l. I, ch. VIII; tum exinde exemplum Anthimi C. P. à S. Agapeto Papa depositi, ap. Lamennais, op. cit. t. I, p. 206, vel ap. Nat. Alex. illic. cit. : *Hist. sæc. VI*, c. II, a. 7.

(5) Hoc, paulò post, in Galliâ, ad solos Metropolitanos restringere conata est *Pragmatica Sanctio* Caroli VIII<sup>i</sup> (V. ap. Blanc, leç. CXLV, 5) sed non sine multis difficultatibus ac conscientiarum anxietatibus (V. ap. Tho-

nemo verè catholicus non sentit quàm hæc disciplina tum Ecclesiæ unitatem contra schismatum tentamina, tum ejusdem dignitatem ac libertatem contra sæcularium potestatum pressiones, feliciter protegat. Multò enim facilius ac tutius electo qui suspectus habetur, institutio à S. Pontifice denegatur, quàm auctoritas semel adepta pastori indigno tollitur; nec parùm certè schismata Orientis juvit illa usquedum protracta consuetudo auctoritatem provisoriè ingrediendi ante pontificiam confirmationem (1).

**Observatio quoad ipsum S. Pontificem :** Qui nempe quum nullum habeat superiorem, nullius consensum habet expectandum; sed in sedem Petri et auctoritatem ei à Christo annexam constituitur eo ipso quòd certò electus est juxta regulas usu vel prædecessorum decretis approbatas (2). — (De casu autem dubii, V. suprâ, p. 213).

Illæ porrò regulæ ferè non aliæ ab initio fuère ac pro cæteris Episcopis, ita ut scilicet romanus Pontifex eligeretur per clerum et populum Urbis cum Episcopis vicinioribus, vel dein per Clerum solum cum Episcopis suburbicariis, ac demum per solos Episcopos, Presbyteros et Diaconos *Cardinales*, id est titulares (juxta modum loquendi tunc apud plures ecclesias adhibitum, nunc autem soli Ecclesiæ ro-

massin., op. cit. t. II, l. II, c. XLIII, n. 12), usquedum penitus abrogaretur ex Concordato Leonis X cum Francisco I (Blanc, leç. CL, 1), atque in Conc. Lateran. V œcumenico damnaretur eo quòd « schisma manifestum foveret et contineret » (Constit. *Pastor æternus*, ap. Labbe, t. XIV, p. 310). — Rursus tamen aliquid hujusmodi multòque etiam pejus à Pio PP. VII extorquere attentavit Napoleo Imp. I, his in articulis qui malè dicti sunt *Concordat de Fontainebleau* (V. Blanc, leç. CCIII, 41; CCIV, 1-3).

(1) Cfr recentem SS. Pii IX *Encyclicam*, 6 Jan. 1873, ad *Armenos*, n. 34 : « ... Nemo autem non videt, ita tutius provideri catholicæ fidei conservationi, quam perturbare pro lubitu posset ante receptam Apostolicam confirmationem qui tanto indignus officio in patriarchalem sedem insili-ret; vel certè perturbationum occasiones præpediri, quæ oriri possent » si quando electus patriarcha, à S. Sede Apostolicâ rejectus, è suo loco ceterè dere deberet; » (Ap. *Analecta Juris pontificii*, 12<sup>e</sup> série, 1874, p. 881. — Itidem et gallicè, ap. *l'Univers*, 22 febr., supplem.; vel ap. *Annales cathol.*, mars 1873).

(2) Suarez : *De Legibus*, l. IV, c. IV, n. 11 jam cit.

manæ reservatum). Hinc autem, quum horum *Cardinalium* romanorum munus, sive ratione electionis, sive ratione consilii quo etiam Pontificem juvant, magni fieret momenti, jam in illos titulos viri quique in Ecclesiâ præstantissimi vocari cœperunt non è civitate romanâ solum sed undequaque, præsertimque, ut pronum erat, è natione apud quam commorabatur Pontifex; atque ita factum est ut plerique Itali fuerint, quando commoratus est in Italiâ, Galli quando in Galliâ : seu potius, quia universæ Ecclesiæ hoc eorum munus interest, jam S. Bernardus suadebat ut *eligerentur de toto orbe, orbem judicatori* (*De consider.*, ad *Eugen. Pap. III*, l. IV, c. IV, 9); itemque Concilium Trident. commendat ut « SS. Rom. Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, assumat. » (Sess. XXIV, *De reform.* c. 1) : quod reapse aliquatenus efficere sive ex se sive ad præsentationem Principum Romani Pontifices incœperunt. Atque hinc Papa, quemadmodum, è successione Petri, vicarius Dei jure divino semper existit; ita, ex electione suâ, jam aliquo sensu haberi potest, vel humano jure, totius Humanitatis catholicæ representator.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE EXERCITIO AUCTORITATIS IN ECCLESIA CHRISTI.

Quum Auctoritatis tum doctrinalis tum legislativæ in Ecclesiâ Christi existentiam probavimus (Cap. I<sup>o</sup>), et totam illius constitutionem, quatenus è jure divino fluit, expendimus (Cap. II<sup>o</sup>), nunc videre est, in hoc Cap. III<sup>o</sup>, quænam in objecta et quonam modo sese *exerceat* illa Auctoritas, sive quatenus doctrinalis, sive quatenus legislativa; sed, ante omnia, ponenda est sequens

**60. — Propositio :** *Illud certè, sive in doctrinâ, sive in disciplinâ, Auctoritati ecclesiasticæ subjacet, quod ipsa tanquam sibi à Christo subjectum teneri absolute injungit.*

Auctoritas enim ecclesiastica, utpote infallibilis interpretis doctrinæ Christi, huic doctrinæ non modò non potest quidquam detrahere sed nec addere (V. suprâ n. 14